



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuitur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

276 Res quædam sacræ priuatorum quadamtenus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

craciones, Ecclesiastica beneficia, ius patronatus, aliaque id genus. quibus ibidem Nauarrus adnumerat aquæ baptismalis & lustralis benedictionem, exorcismum, catechismum, beneficiorum Ecclesiasticorum collationes, renunciationes, & similia. pertinere reor eodem solènes benedictiones cereorum, ramorum palmarum, granorum rosarij, Agnorum Dei, panum, campanarum deniq; vel aliarum rerum, quin & Sanctorum canonizationes, cum reliquiis eorundem. Quod quidem tertium postremumque spiritualium genus in duos rursus gradus aptè subdistinguitur, quandoquidem alia plus habent spiritualitatis (vt ita cum nostris loquamur) & minus corporalitatis, & à spiritualibus omnino dependent; vt Ecclesiastica tum beneficia tum officia, quæ non Christiano cuiilibet sed solis competunt clericis vt hominibus diuino cultui singulariter destinatis: Alia verò plus habent corporalitatis vel temporalitatis, minus autem spiritualitatis, & à spiritualibus non dependent sed ad spiritualia duntaxat ordinantur seu referuntur, & ordine temporis vsus spiritualium præcedunt, & in hominis cuiuslibet Christiani quantumlibet non clerici sed laici possunt esse quadamtenus potestate, sicuti sunt ius patronatus, iura sepulturarum, calices, & alia vasa sacra, cum vniuersa supellectili sacra; quæ subinde priuatorum est, non clericorum solorum sed & laicorum sacella vel domi suæ vel in publicis Ecclesiis habentium. qualia spiritualia laicis etiam

273

*Spiritualia
per annexio-
nē b'fariam
subdistingui.*

274

*Annexa de-
pendenter.*

275

*Annexa an-
tecedenter.*

276

*Res quedam
sacra priua-
rum qua-
damtenus.*

communia licet in iure nostro quādoque nominentur spiritualibus annexa, c. de iure. 16. de iur. patronatus, tamen antecedenter tantum non autem consequenter neque dependenter (vt Nauarrus loco prædicto loquitur) sunt annexa spiritualibus. Ea quæ sunt generis prioris, vendi quidem nūquam possunt citra simoniæ vitium; permutari tamen possunt, non promiscuè quidē sed certis legibus & inter solos clericos vt ac tanquam eorum capaces; ea verò quæ sunt posterioris generis, vendi possunt iuxta D. Thomæ distinctionem quoad vel temporalitatem vel corporalitatem seu materiam, alioqui non; multo quæ magis permutari possunt, non inter clericos tantum sed & inter clericos & laicos, vel etiam inter solos laicos; ita tamen vt si de conuertendis iis in vsus profanos ageretur, solennitates iuris essent obseruandæ; veluti pro redemptione captiuorum, vel alendorum in fame pauperum gratia, calix etiam consecratus vendi posset interueniente confractioe vel alioqui refectioe quadam Pontificali, quemadmodum legibus etiam ciuilibus probatur d. l. inter stipulantem. §. sacram. in verbis. *Si rursus lege aliquares sacra profana esse cœperit.* & l. continuus. 127. §. cum quis sub hac conditione. in verbis. *Nec ad rem pertinet quod ius mutari potest.* π. de verb. obligat. & idem D. Thomas approbat d. art. 4. in respōsione ad argumentum secundum; qui tamē solius meminit confractioe vel cōflatioe (vt & c. ea enim quæ.

§. I.

277
Rem sacram
duobus modis
posse fieri pro-
fanam; con-
fractioe, &
refectioe.